
Königl. Gymnasium zu Pr. Stargardt.



Zu der

Freitag den 31. März 1882

in der Turnhalle stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

ladet

im Namen des Lehrer-Kollegiums

ergebenst ein

Dr. H. Heinze,

Dirigent.


Inhalt:

De comparationum et translationum usu Sophocleo Pars III. Vom Gymnasiallehrer G. Lueck.

Schulnachrichten von dem Dirigenten.

1882. Progr. Nr. 37.

Pr. Stargardt.
Druck von O. Schmidt.
1882.



De comparationum et translationum usu Sophocleo.

Pars III.

Quum primum de comparationibus translationibusque Sophocleis commentari animum induxissem,*) mihi persuasum erat, paucis pagellis hoc argumentum posse pertractari. Quae spes iam dudum deponenda fuit. Nam sicut in rupibus inclusisque vallibus fieri adsolet, ut una voce percussae undique respondeant multiplicesque sonos referant, ita unum quaerenti tam multa et varia mihi sunt oblata, ut prorsus non intellegam querelas eorum, qui in tali scriptore vix iam esse contendunt in quod inquirant. Quamvis enim accurate et multifariam Sophoclis tragoediae sint pervestigatae et commentationibus paene oppressae, tamen iam ex ipsa imaginum contemplatione tanta redundavit copia animadversionum, quarum pars ut exprameretur argumentum invitabat, ut disputatio mea sensim in commentarii amplitudinem succresceret. Quare ne lectorum benevolentia, quam mihi me conciliasse ex benignis**) criticorum iudiciis non sine summo gaudio cognovi, abuti videar, ita iam pergere in animo est, ut de prioribus quidem quae proponam imaginum generibus nondum ab aliis attrectatis aut certe illustratis pluribus, ut institui, verbis disseram atque exponam, reliqua vero in indicis magis quam in disputationis formam redigam et compellam.

Quorum generum primo loco percensebimus illud quod continetur similibus ad rem indicialem et ad rei publicae instituta revocandis. Atque haec quidem nobis nec crebra nec vegeta aut maiore studio a poeta expressa videntur. Vix enim iam sentitur usus metaphoricus verborum κρίνειν, ἔλεγχος, ἐλέγχειν, μάρτυς, μαρτύρεσθαι, μαρτυρεῖν, αἰτιᾶσθαι, κατηγορεῖν, φεύγειν νικᾶν aliorum, quae sane in iudiciis locum habent, sed ab omnibus scriptoribus de aliis quoque

---

*) Duae priores partes in lucem editae sunt Neumark W.-Pr. 1878 et 1880.

**) Jn eum numerum refero etiam Rudolfum Schneiderum, qui ZGW 1880 pag. 277 et 278 benigne de prima huius commentationis particula iudicavit. Tamen in nonnullis quae vir doctissimus disputavit me dissentire fateor. Nam ut omittam quae de verbo ὀγμεύειν dixit, de quo sane potest dubitari, haud scio an iniuria ea reprehenderit, quae de verbo λωφᾶν in part. I pag. 12 et 13 exposui. Ego enim hoc verbum non ideo ad substantivum λόφος retuli, quod veteres interpretes idem fecerunt, sed quod inter λόφος et λωφᾶν eandem rationem intercedere puto atque inter νόμος et νωμάω, τρόπος et τρωπάω similia. Veterum autem interpretum testimonia nulla alia de causa excitavi nisi ut demonstrarem eos in verbo λωφᾶν notionem colli etiamtum sensisse. Nam de auctoritate interpretum illorum sic et ipse statuo et ab aliis accepi eorum iudicio in derivationibus verborum fere nihil, eorum sensui saepe plurimum esse tribuendum, quoniam ipsi Graeca lingua utebantur. Accedit quod multa apud eos ex bonis et antiquis fontibus manaverunt. Jam vero si in verbo λωφᾶν memoria colli nondum erat deleta, explicatione mea standum est. De iumento autem cogitandum etiam propterea videtur, quod de huius collo vocabulum λόφος proprium est. — Probarunt interpretationem meam Weckleinius (in Bursiani Jahresbericht etc. 1879) et Metzgerus philol. Rundschau I, 3, p.p. 89.)

rebus usurpantur. Paullo insigniores videntur nonnullae imagines vocabulo δίκη effictae, velut Ai. 448 seq.: . . . . . οὐκ ἄν ποτε Δίκην κατ᾽ ἄλλου φωτὸς ὧδ᾽ ἐψήφισαν, Ant. 742: διὰ δίκης ἰὼν πατρί; in plurimis autem locis vis metaphorica eius verbi prorsus evanuit. Sequitur vocabulum ψῆφος quod in iudiciis comitiisque sollenne est, deinde autem ad decretum quodlibet transfertur; cf. OR. 606 seq.: μή μ᾽ ἁπλῇ κτάνῃς Ψήφῳ, διπλῇ δέ κτλ., Ant. 60 ψῆφον τυράννων, ibd. 632 τελείαν ψῆφον; de ψηφοποιῷ Ai. 1135 v. edit. Schn. = N. Eodem referendum est Ph. 1448 γνώμην τίθεσθαι, pro quo alibi dicitur ψῆφον τίθεσθαι, quod pleniorem efficit imaginem.*) Cum quibus componi potest frg. 271: κυαμοβόλον δικαστήν.

Item ad rerum iudicialium rationes accedere videntur vocabula φερέγγυος et ἐχέγγυος, quorum prius in El. quidem v. 942: τί γὰρ κελεύεις ὧν ἐγὼ φερέγγυος vix quidquam nativae suae notionis retinuit, altero autem loco (OC. 94 σημεῖα δ᾽ ἥξειν τῶνδέ μοι φερέγγυα) coniectura demum quamvis probabili repositum est ab Herwerdeno. Plus autem pristini vigoris residere videtur in simili verbo ἐχέγγυος quod OC. 284 (ἀλλ᾽ ὥσπερ ἔλαβες τὸν ἱκέτην ἐχέγγυον) legitur. De cuius vocabuli fide et potestate interpretes inter se dissident. Nam quum ἐχέγγυος is dicatur, qui pignus praebet alii, non qui ipse accepit, sane dubitari potest quaenam sint pignora quae Oedipus praestiterit. Et Godofredus Hermannus rationibus e vocabuli origiue et compositione petitis ἐχέγγυον hoc loco de eo dictum putat, qui alius sponsione fretus est, ita ut Oedipum chori praesidio confidentem sibi fingere videatur. Atqui haec verbi potestas quum per se bona et sententiae conveniens sit, tamen exemplis prorsus destituitur. Imo ubique ἐχέγγυος passive dicitur, ut significet eum qui fiducia aliorum dignus sit. Itaque fortasse suspicandum est ea pignora quae Oedipus ipse praebeat indicari v. 287 seq.: ἥκω γὰρ ἱερὸς εὐσεβής τε καὶ φέρων Ὄνησιν ἀστοῖς τοῖσδε, quibuscum cf. v. 459 seq.: τῇδε μὲν τῇ γῇ μέγαν Σωτῆρ᾽ ἀρεῖσθε. Has quidem ob causas sane Oedipus dicere potest sese virum fide dignum esse, non ἐπιόντα quendam vel civitati adeo perniciosum. Praeter haec ad rei iudiciariae memoriam excitant Trach. 682 seq.: παρῆκα θεσμῶν οὐδέν, ἀλλ᾽ ἐσωζόμην Χαλκῆς ὅπως δύσνιπτον ἐκ δέλτου γραφήν, ubi Nauckius secundum Polluc. 8, 128 de tabulis aeneis cogitat in quibus leges erant exaratae; ibd. 807 seq.: πατρὶ βουλεύσασ᾽ ἐμῷ Καὶ δρῶσ᾽ ἐλήφθης, cum quibus in adn. Schn. = N. comparantur Ant. v. 266 seq.: τὸ μήτε δρᾶσαι μήτε τῳ ξυνειδέναι Τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι μήδ᾽ εἰργασμένῳ, quae verba formulae iudiciariae instar dicta putantur; Trach. v. 814: ξυνηγορεῖς σιγῶσα τῷ κατηγόρῳ; sed haec omnia eiusmodi fere sunt, ut ad interiorem quandam iuris Attici rationem aut disciplinam vix pertineant.

---

*) Quum haec verba prorsus eadem notione instructa apud scriptores occurrant, quin etiam interdum coniuncta sint, non abest suspicio, alterum nonnunquam alteri ab interpretibus explicationis gratia esse adiectum. Quod quidem certe factum esse puto in OR. v. 606 seqq.:

μή μ᾽ ἁπλῇ κτάνῃς
ψήφῳ, διπλῇ δέ, τῇ τ᾽ ἐμῇ καὶ σῇ λαβών,
γνώμῃ δ᾽ ἀδήλῳ μή με χωρὶς αἰτιῶ.

Quorum versuum ultimum valde corruptum esse apparet. Neque enim est quo χωρίς referatur neque γνώμη ἄδηλος recte dictum videtur. Sententia autem haec requiritur: Sine manifesta culpa s. manifesto culpae indicio ne me accusaveris. Quare haud spernendum versus emendandi initium fecit Gu. Wolffius, quum γνώμης δὲ δήλου μή με χωρὶς αἰτιῶ legendum proponeret; tamen locum minime persanavit. Nam γνώμη δῆλος opinio foret aliis perspicua et manifesta, non ipsi certa et explorata; improbanda igitur sunt haec verba eadem de causa qua γνώμη et ἄδηλος inter se coniuncta sunt reicienda. Quare ego verbum γνώμῃ illi quod praecedit ψήφῳ adscriptum fuisse et deinde in proximi versus initium invasisse arbitror. Quod verbum eo sit oppressum ac sede sua expulsum, certo definiri iam non poterit; sane autem culpae vel indicii notionem habuit. Sententiae satisfaceret: ἴχνους δὲ δήλου μή με χωρὶς αἰτιῶ. Cf. OR. 109: ἴχνος παλαιᾶς δυστέκμαρτον αἰτίας.

Quare quum hanc imaginum iudicialium paucitatem et ieiunitatem respicimus, sane ingenuam poetae naturam abhorruisse censemus a pravo isto litium causarumque studio, cui magna pars Atheniensium indulgebat. Jmo cognoscimus poetam eum qui magis Δίκης deae ὑψηλὸν βάθρον (Ant. 853) verecunda mente suspicere et παλαίφατον ξύνεδρον*) Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις (Δίκην OC. 1381 seq.) pie ac religiose colere quam litium et causarum forensium rationem habere consueverit. Quam pietatem et sanctitatem quum totae eius tragoediae spirent tum loci singuli testantur, quorum praestantissimus semper mihi visus est ille quo leges sublimi imagine describuntur:

νόμοι . . .
ὑψίποδες, οὐρανίαν
δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος
πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
θνατὰ φύσις ἀνέρων
ἔτικτεν οὐδὲ μή ποτε λάθᾳ κατακοιμάσῃ (OR 865—870).

Semel quidem poeta ad obsoletam quandam et superstitiosam iudicii formam descendit, quae imprimis apud maiores nostros valebat; est autem mirum illud quod dicitur ordalium, de quo Ant. v. 264 seq. nuntium sic loquentem facit:

ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
καὶ πῦρ διέρπειν καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν
τὸ μήτε δρᾶσαι κτλ.

de quibus cf. quae disputata sunt in editione Schn. = N. Addendum autem videtur non sine causa poetam nuntium, hominem de plebe, iis verbis usum facere videri: coniciendum enim est eorum iudiciorum memoriam imprimis apud plebem remansisse, quae ubique veteres ritus ac caerimonias religiosius servare et colere solet quam homines eruditiores et cultiores. En novum testimonium artis Sophocleae in hominum indole depingenda!

Ab imaginibus autem a iure desumptis non separandae sunt eae quae ad cetera reipublicae instituta pertinent. Quae quidem etiam rariores videntur ac tenuiores. Nam unam tantum comparationem a ratione quae inter προστάτην quem vocabant et μέτοικον intercedebat petitam latius patere videmus. Legitur enim OR 411: ὥστ' οὐ Κρέοντος προστάτου γεγράψομαι, cuius loci consimillima sunt verba Agamemnonis in Ai. v. 1260 seq.: (οὐκ) ἄλλον τιν' ἄξεις ἄνδρα δεῦρ' ἐλεύθερον, Ὅστις πρὸς ἡμᾶς ἀντὶ σοῦ λέξει τὰ σά; Jn reliquis vero locis (OR 303, 882, Trach. 209) ratio illa magis iam evanida esse videtur. Neque in eo quod eodem pertinet vocabulo μέτοικος notio illa ex Atheniensium instituto deducta ubique apparet. Tamen agnoscenda videtur in OR v. 452: ξένος λόγῳ μέτοικος (propter societatem vocabuli ξένος) et OC 934 μέτοικος τῆσδε τῆς χώρας, quamquam hoc quidem loco adversatur scholiasta. Ant. 852, 868, 890 nulla alia voci subest notio nisi una habitandi.**)

Praeterea ab instituto quodam publico originem duxit verbum προξενεῖν, quod bis apud Sophoclem legitur (OR 1483 et Trach. 726), sed a propria sua potestate plane descivit. Accedit formula quae ab Ellendtio vocatur ἀστὸς εἰς ἀστοὺς τελῶ OR 222 et OC 635: τῇ

*) Cf. Ant. v. 797: (ἵμερος) τῶν μεγάλων πάρεδρος ἐν ἀρχαῖς θεσμῶν.

**) Secundum hunc verbi usum etiam in Eur Med. v. 850: τὰν οὐχ ὁσίαν μετ ἄλλων pro μετ' ἄλλων quod quum aliis de causis tum propter omissum articulum ferri non potest reponendum mihi videbatur μέτοικον quod in sententiam multo melius sane quadrat quam quod Jacobus et Meinekius dedere μετ' ἀστῶν vel quod Herwerdeno placuit μεθ' ἁγνῶν. Quum vero illud a literarum traditarum ductu longius distet, ad similitudinem vocabuli ξύναυλος (Soph. OR 1126 Ai. 611) fortasse confingendum est μέταυλον. An praeferendum videtur μέτηλον?

τῇδε κἀμοὶ δασμὸν οὐ σμικρὸν τίνει quod utrumque de Oedipo dicitur. Quibus quum adiecerimus Ant. 159 seqq.: . . . σύγκλητον τήνδε γερόντων Προὔθετο λέσχην Κοινῷ κηρύγματι πέμψας et El. 953: φόνου πράκτορα, omnia iam protulerimus quae ad rem iudiciariam vel cetera instituta publica alludere videntur. Quamquam autem usus metaphorici et comparativi fines in hoc genere latissimos sane constituimus, ita ut illa quoque quae per anachronismum quem vocant dicta sunt huc traxerimus, tamen quae invenimus pauca sunt eaque partim satis exilia et ieiuna. Quae quum ita sint, quis est quin meminerit verborum Jonis quae leguntur apud Athenaeum XIII 604 d: τὰ μέντοι πολιτικὰ οὔτε σοφὸς οὔτε ῥεκτήριος ἦν (Σοφοκλῆς), ἀλλ' ὥς ἄν τις εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων?

Quid vero palaestrae, magistrae Graeciae, orationem Sophoclis debere putabimus? Jure enim eam magistram appellare posse mihi videor, siquidem poeta ipse simili usus est nomine. Nam tanto ego palaestrae ac totius artis gymnasticae studio quum omnes Graecos tum Sophoclem imbutum fuisse censeo, ut etiam haec verba: γλαυκᾶς παιδοτρόφου φύλλον ἐλαίας OC 701 ad palaestram referre non verear. Sane hic poeta oleum palaestrae exercitationibus fere omnibus adhibitum puerorum tanquam altorem et educatorem praedicare videtur. Quamobrem ut taceam de interpretatione eorum, qui illud παιδοτρόφος de oleae surculis progerminantibus dictum esse volunt, quasi nomen παιδός de germine vel surculo usurpatum aut exstet usquam aut omnino possit cogitari: *) ne illos quidem qui Hesychii auctoritatem secuti propter ramos oleaginos post puerorum ortus domibus praefixos poetam verbo παιδοτρόφος usum esse putant, recte de verbis illius arbitror iudicare. Haec enim exhibet Hesychius s. στέφανον ἐκφέρειν: ἔθος ἦν, ὁπότε παιδίον ἄρρεν γένοιτο παρὰ Ἀττικοῖς, στέφανον ἐλαίας τιθέναι πρὸ τῶν θυρῶν, ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν ἔρια διὰ τὴν ταλασίαν. Jam vero hac explicatione non ita nobis utendum est, ut ob illum quem Hesychius descripsit morem poetam ἐλαίαν παιδοτρόφον dicere putemus, verum inverso ordine statuendum videtur Sophoclem ob eandem causam oleum παιδοτρόφον nominare, ob quam veteres Attici coronam oleagineam ante ianuas collocabant. Sicut igitur veteres ita facere consuerant, ut indicarent quod pueruli modo nati studium praecipuum esset futurum, ita poeta oleo, i. e. palaestra imprimis pueros ali et educari verbo παιδοτρόφος significat. Non igitur ex illo quem ferunt Atheniensium more sed ex eodem fonte unde mos ille fluxit poeta oleae hausit epitheton. Quin etiam quod praecedit ἐγχέων φόβημα δαΐων huic interpretationi videtur suffragari. Profecto enim palaestrae exercitationibus pueri ad belli usum optime instruebantur,**) ut hostibus terrorem inicerent, id quod in ipsum transfertur oleum. Possunt saltem illa verba eiusmodi aliquid adsignificare. — Neque vero hoc loco silentio praetermittendum videtur fortasse iam Ellendtium in verbo παιδοτρόφος idem iam sensisse vel tanquam per transennam vidisse, quum haec habeat: „παιδοτρόφος pueris alendis idoneum. Explicat hoc Hesychius v. στέφανον ἐκφέρειν: ἔθος ἦν κτλ. (sequuntur verba Hes.). Propter usum igitur olei in palaestra faciendi (nonne faciendum?) corona oleaginea ianuae praeponebatur: palaestra enim marium, velut lanificium feminarum munus.“ Quum vero ex his Ellendtii verbis certi aliquid non appareat neque quisquam ea sic intellexisse videatur, ut illam quam ego de vocabuli παιδοτρόφος notione protuli sententiam inde perciperet, disputatiunculam meam delendam non putavi, quoniam eam vel sic ad rem explanandam aliquid conferre posse censui. Aeque cuilibet alii cedo, si forte idem iam invenit. ***)

---

*) Quod apud Athenaeum XIII, p. 608 e a Chaeremone hedera ἐνιαυτοῦ παῖς vocatur prorsus dissimile est.

**) Cf. Corn. Nep. vit. Epam. II, 4 et 5.

***) Nihil magis doleo quam quod editionum Britannicarum subsidio fere omnino sum destitutus. Praeter quatuor enim singularum fabularum (Ai. El. Phil. Trach.) editiones a Blaydesio factas nullam inspicere mihi nunc licuit. — Musgravium audio primum Hesychii verba contulisse; quomodo autem iis in explicando vocabulo παιδοτρόφος usus sit nescio.

Jam vero quum ipsa unius loci explicatione eximium quoddam gymnastices studium in poeta cognoverimus, multo magis hoc elucebit, quum ceteras imagines inde petitas perlustraverimus. Quo vero cognoscatur eas omnes ex ipso palaestrae usu ipsaque ludorum gymnicorum cognitione redundare, non alienum videtur primum eos adire locos quibus certamina describuntur. Quae quum commemoramus, cui non in mentem venit inclutissimi illius certaminis quod in El. inde a versu 681 oculis nostris proponitur? Quem locum quum totum in conspectu ponere spatii concessi fines nos prohibeant, tantum liceat contendere omnia in eo tam vere esse descripta, ut si quid minus intellegamus nostrae hoc potius quam poetae rerum ignorationi tribuere neque etiam statim ad corruptionis suspicionem — facillimum videlicet perfugium — recurrere debeamus. Cuius quidem rei ut unum exemplum afferam, etiam eum locum, de quo maxime hucusque dubitabant, quin etiam omnino desperabant interpretes, prorsus verum et genuinum esse acutissima iam disputatione edocemur a Rudolfo Schneidero in ZGW 1881 p. 537. Locus autem, quem simul accuratae et vividae descriptionis tanquam specimem appono, hic est:

καὶ τοὺς μέν ἄλλους πάντας ἀσφαλεῖς δρόμους
ὤρθοῦθ᾽ ὁ τλήμων ὀρθὸς ἐξ ὀρθῶν δίφρων
ἔπειτα λύων ἡνίαν ἀριστερὰν
κάμπτοντος ἵππου λανθάνει στήλην ἄκραν
παίσας, ἔθραυσε δ᾽ ἄξονος μέσας χνόας κτλ.

In quibus illud λύων, in quo cardo rei vertitur, explicatione Schneideri tandem omnibus exsoluta est difficultatibus.

Alter autem locus ex quo accuratissimam quam poeta habuit rerum gymnicarum cognitionem percipimus invenitur in Trach. inde a v. 497, ubi certamen Herculis cum Acheloo ῥαβδονομούσης Κύπριδος (515) prorsus luctatorum et pugilum ritu confectum poeta nobis describit. Ex quo satis erit haec commemorasse:

τότ᾽ ἦν χερός, ἦν δέ τόξων(?) πάταγος
ταυρείων τ᾽ ἀνάμιγδα κεράτων
ἦν δ᾽ ἀμφίπλεκτοι
κλίμακες, ἦν δέ μετώπων ὀλόεντα
πλήγματα*) καὶ στόνος ἀμφοῖν

Quae omnia ex ipsarum rerum usu, non ex cogitatione vel umbratili quodam studio profecta esse liquet. Iam autem quaerendum est, quaenam ex fonte tam vivido fluxerint comparationes translationesque. Quare, ut ordine procedamus, primum de certaminibus in universum agendum videtur, deinde singula genera expendemus. Atque statim animadvertimus ipsum vocabulum ἀγών variis apud poetam inservire imaginibus. Leguntur enim haece: El. 1441: δίκας ἀγών, ibd. 1491 seq: λόγων γὰρ οὐ Νῦν ἐστιν ἀγὼν ἀλλὰ σῆς ψυχῆς πέρι; OC 587: οὐ σμικρὸς, οὐχ(?), ἀγὼν ὅδε, ubi ἀγών generatim de discrimine dictum esse recte Ellendtius observat; Ai. 1163: ἔριδος ἀγών; sententiae quam dicunt loco habetur frg. 675, 2: μικροῦ δ᾽ ἀγῶνος οὐ μέγ᾽ ἔρχεται κλέος; aliis locis vocabulum a potestate propria ita deflectit, ut de pugna qualibet dicatur. Ab hoc non multum dissidet verbum κρίσις, cui in certaminibus locum fuisse El. v. 683 seq. testantur:

ὅτ᾽ ᾔσθετ᾽ ἀνδρὸς ὀρθίων κηρυγμάτων
δρόμον προκηρύξαντος, οὗ πρώτη κρίσις.

Deinde etiam Phil. 1050: χὤπου δικαίων κἀγαθῶν ἀνδρῶν κρίσις et OR 500 seqq. ἀνδρῶν δ᾽ ὅτι μάντις πλέον ἢ ἐγὼ φέρεται, κρίσις οὐκ ἔστιν ἀληθής· σοφίᾳ δ᾽ ἂν σοφίαν παραμείψειεν ἀνήρ, in

*) Wunderus πλίγματα scribendum coniciens novum vocabulum ex arte luctandi depromptum Sophocli sumministrat. Cf. vocabulum ἀμφιπλίξ in frg. 538.

quibus alia quoque ad res gymnicas spectant, ad notam illam in ludis publicis concertationem referenda videntur. Propius etiam ad certaminis diiudicationem accedunt verba πρὸς τόξου κρίσιν Trach. 266. Certaminis quoque inter Achillem et Ulixem facti iudices κριταί appellantur Ai. 1243. Neque ipsum praetermittendum est verbum κρίνειν Ai. 442 seq.: εἰ ζῶν Ἀχιλλεὺς τῶν ὅπλων τῶν ὧν πέρι Κρίνειν ἔμελλε κράτος ἀριστείας τινὶ κτλ., ubi aptius sane de Achille certaminis tanquam βραβευτῇ quam de causae forensis iudice cogitari communione verborum κράτος ἀριστείας edocemur. Etiam in aliis locis usus verbi κρίνειν huc revocari potest, sed res minus perspicua est. Hasce imagines commode excipiunt illae quae de praemiis a certaminum iudicibus victoribus distributis ductae sunt. Atque ex verbis in primis de hac re usurpantur ἄρνυσθαι et φέρειν s. φέρεσθαι, de quorum usu latius patente quam qui plane hic possit explicari adeas lexica Sophoclea. Ipsum praemium quod tribuitur est στέφανος, qui per translationem dicitur in Phil. v. 841 τοῦδε γὰρ ὁ στέφανος κτλ. et in Ai. v. 465: (ἀριστείων) ὧν αὐτὸς ἔσχε στέφανον εὐκλείας μέγαν. Neque vocabulum ἆθλον quod proprie de certaminis praemio dicitur hanc notionem servavit, sed metaphorice usurpatur Trach. 506 ἄεθλ' ἀγώνων, Phil. 509 (πόνων) ἆθλον. Aeque cognata vox ἆθλος, quam certamen, non certaminis praemium esse volunt, alio traducta est Tr. 36 et 80, Ant. 856. Eodem pertinet verbum ἀθλεῖν OC. 564: ἤθλησα κινδυνεύματα. Restat vocabulum ἅμιλλα tralate dictum Trach. 220: βακχίαν ὑποστρέφων ἅμιλλαν. Cf. etiam γάμων ἁμιλλήματα El. 494 et τρόχους ἁμιλλητῆρας Ant. 1065.

Hae fere sunt imagines e generali certaminum ratione et indole deductae: iam vero cursores quadrigarumque rectores carceres relinquere (ipsae βαλβῖδες tralate dictae sunt Ant. 131), reliquos concertatores in campum descendere iubeamus. Duo autem sunt genera certaminum, a quibus poeta imagines petivit: alterum eorum quae cursu tam equorum quam hominum conficiuntur, alterum luctatorum et pugilum. Ac primum quidem de stadio haec sumpta videntur: El. 628 πρὸς ὀργὴν ἐκφέρει, ad quod recte Nauckius animadvertit: wie ein Ross, das ἔξω δρόμου φέρεται; idem valet de Ant. v. 801 seq. θεσμῶν ἔξω φέρομαι nec dissimile est quod legitur OC. 438: τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι. Aliter comparatum est ἢ τοῦθ' ὑπεκδραμόντα τοῦ χρόνου τέλος (Trach. 167), quod sic intelligi nequit. Quare Blaydesius Burgesium secutus τοῦδ' ὑπερδραμόντα*) exhibet. Idem verbum occurrit Ant. 455 νόμιμα . . . . . ὑπερδραμεῖν. Denique de stadio ad finem percurrendo desumpta sunt: OC. 91 ἐνταῦθα κάμψειν τὸν ταλαίπωρον βίον, OR 1530: τέρμα τοῦ βίου περάσῃ; cf. praeterea vocabuli τέρμα usum in OC 725, Ai. 48, El. 1397 et adiectivi τέρμιος OC 89 et Ant. 1331.

Sequuntur imagines plenae ac dilucide expressae, quae ad pugilum et luctatorum certamen pertinent.

Trach. 441 seq.: . . . . ἀντανίσται
Πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας.
Phil. 431 seq.: σοφὸς παλαιστὴς κεῖνος, ἀλλὰ χαὶ σοφαὶ
Γνῶμαι, Φιλοκτῆτ', ἐμποδίζονται θαμά.
ibd. 666: ἐχθρῶν μ' ἔνερθεν ὄντ' ἀνέστησας πέρα.
OR 879 seq.: . . . . τὸ καλῶς δ' ἔχον
Πόλει πάλαισμα κτλ.

---

*) Sic quoque in versibus:

τότ' ἢ θανεῖν χρείη σφε τῷδε τῷ χρόνῳ
ἢ τοῦδ' ὑπερδραμόντα τοῦ χρόνου τέλος

et temporis notionem bis deinceps repetitam ac sine causa tanquam inculcatam perquam molestam esse nec verbum ὑπερτρέχειν satis apte hic dici in propatulo est. Tentarem: ἢ τοῦθ' (melius τοῦδ' sec. Wunderum) ὑπεκδραμόντα τοῦ μόρου τέλος, si versum qui iure pro insiticio habetur corrigere operae pretium esse videretur.

frg. 678, v. 13: τίν οὐ παλαίουσ᾽ ἐς τρὶς ἐκβάλλει θεῶν; (sc. Κύπρις)
frg. 738 παλαισταί (tralate de Troianis, cf. Ell.)
frg. 663, v. 3: ὡς δυσπάλαιστόν ἐστιν ἀμαθία κακόν,

in quo versu δυσπάλαιστον pro δυσπέλαστον probabiliter restituit Nauckius. Idem Ant. 1097 pro κατάξαι legi iubet παλαῖσαι in versu dubitationis pleno. Aperte autem a luctatorum artificio quodam sumptum est quod OR. v. 386 legitur: λάθρᾳ μ᾽ ὑπελθὼν ἐκβαλεῖν (sc. τῆς ἀρχῆς) ἱμείρεται, ad quod adnotat scholiasta: τὸ ‚ὑπελθὼν' ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν παλαιόντων λέγεται, ὅταν τοὺς ἀντιπάλους ὑπέρχωνται λαθόντες κτλ. Idem quadrat in Phil. 1007: οἷ᾽ αὖ μ᾽ ὑπῆλθες, ὥς μ᾽ ἐθηράσω κτλ., nisi forte tota imago ad rem venaticam referenda est. Minus autem viget translatio in El. 928 θαῦμά τοί μ᾽ ὑπέρχεται, ibd. 1112 ὑπέρχεται φόβος, Phil. 1231 ὥς μ᾽ ὑπῆλθέ τις φόβος. Restat insignis imago verbo ἔφεδρος expressa Ai. 610: Αἴας ξύνεστιν ἔφεδρος, quae quum ad intimam luctatorum artis rationem redeat, amplissimarum comparationum verbositati par est iudicanda. Nec possum denique suspicionem reprimere etiam frg. 656: θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός ad palaestrae quandam exercitationem vel ad ludum gymnicum pertinere.

Ecce genus imaginum nullo eorum quae perlustravimus aut numero aut vi ac gravitate inferius, quin etiam cum eo solo comparandum quod continetur similibus e rebus opificum, in primis fabrorum ferrariorum et lignariorum petitis!*) Quod magno sane totius libelli nostri consilio ac rationi praesidio est. Namque quum per se consentaneum sit scriptores ex iis

*) Unum imaginum e rebus maritimis et navalibus petitarum genus est, quod reliqua et copia et gravitate facile superat. Quod quorsum sit referendum tum explanare conabimur quum illas imagines in conspectu ponemus. Atque unam quidem causam recte iam attulit Rappoltius in commentatione uberrima ac prorsus egregia quae inscribitur: „Die Gleichnisse bei Aischylos, Sophokles und Euripides (Klagenfurt 1879, part. II).“ Sic enim in pag. 15 antestatur alios vv. dd.: „Wecklein bemerkt zu J. T. 307 treffend: Nautische Ausdrücke, Bilder und Gleichnisse, welche vom Seeleben und vom Meere entlehnt sind, bilden sich naturgemäss bei einem Volke, welches mit dem Meere so vertraut ist, wie es die Athener besonders seit den Tagen des Themistokles waren. Sie sind den Athenern ebenso geläufig und zusagend wie den Römern zur Zeit des Plautus militärische Ausdrücke. S. auch Kinkel zu Phön. 835, welcher auf die Engländer und die englische Literatur hinweist.“ — Occasione oblata non reticendum videtur quid in Rappolti commentatione acquirenda mihi acciderit. Quum enim sero comperissem eam prodiisse ac deinde frustra ut eam mihi pararem operam dedissem, liberalitate scriptoris factum est, ut tandem in manus mihi veniret, quum haec non modo iam conscripta, verum etiam prelo subicienda essent, quamobrem multa immutare aut addere iam non licuit. Atque quum illa commentatione magnopere delecter — plurima enim bene et apposite in ea dicuntur — tamen meam hanc disputationem opprimendam non censeo. Longe enim aliud et consilium est et satis magna eorum quae ab utroque nostrum inventa sunt diversitas. Quod qui cognoscere volet, tertiam hanc disputationis meae particulam conferat cum libello Rappolti: perspiciet de primo quod ego pertractavi imaginum genere eum nihil, de secundo ea protulisse quae toto coelo, ut aiunt, distare videantur ab illis quae ego disputavi; rarissimas enim apud Sophoclem imagines esse contendit e rebus gymnicis desumptas. Neque mirum est virum doctissimum earum imaginum maiorem copiam a Sophocle abiudicare, siquidem quatuor tantum (OC 91, Ai. 465, frg. 663, Trach. 441) proposuit, reliquas easque vel maxime insignes omisit et neglexit. Quod quidem ego magis libelli consilio quam culpa scriptoris factum esse arbitror. Aliud enim est in unius poetae orationem inquirere, aliud plures inter se comparare. Tamen fateor de nonnullis locis brevius et contractius, de multis autem fusius etiam et copiosius me acturum fuisse, si libellum ceteroquin praestantissimum maturius inspicere licuisset. Neque minus doleo quod Coeneni, de comparationibus et methaphoris apud Atticos praesertim poetas' commentationem (Traiect. ad Rh. 1875) comparare mihi iam non potui. Jdem cadit in disputationem W. Peczi, quem in ZOG 1877 in imagines Sophocleas commentatum esse ex eodem Rappolti libello comperio. Sed fortasse commentationis meae retractandae et, si opus erit, supplendae aliquando facultas dabitur.

rebus, in quibus cum studio et multum ac saepe versantur, similia sua desumere, iam certo quodam nec ulla ratione confutando argumento probavimus ex figurata poetae nostri oratione de vitae rationibus facere coniecturam licere. Sicut enim paucitas illa ac tenuitas similium quae ad rem iudiciariam et ad vitam publicam spectant ad amussim respondet Jonis verbis quae supra attulimus, ita magna haec imaginum ex rebus gymnicis quaesitarum copia habet quo referatur. Disertis enim verbis haec nobis in vit. Soph. enarrantur: διεπονήθη δ᾽ ἐν παισὶ καὶ περὶ παλαίστραν καὶ μουσικήν, ἐξ ὧν ἀμφοτέρων ἐστεφανώθη, ὥς φησιν Ἴστρος. Cum quibus conveniunt ea quae apud Athenaeum I p. 20 f. leguntur: (Σοφοκλῆς) ἄκρως ἐσφαίρισεν, ὅτε τὴν Ναυσικάαν καθῆκε. Cf. etiam Eustath. p. 1553,63. Neque illud in aestimando poetae artis gymnasticae studio parvi est ducendum, quod secundum Athen. XV, 687c in Κρίσει fabula „τὴν Ἀθηνᾶν φρόνησιν οὖσαν καὶ νοῦν, ἔτι δ᾽ ἀρετήν, ἐλαίῳ χριομένην καὶ γυμναζομένην“ induxit. Est igitur Sophocles in scribendi genere talis qualis veterum testimoniis describitur. Habemus virum et corporis et animi sanitate praecellentem, non certamini forensi studiisque illis, quae cultioris quidem, sed a pristina morum simplicitate remotae aetatis esse solent, deditum et addictum. Erat profecto, „εἷς τῶν χρηστῶν Ἀθηναίων.“

E palaestra tanquam belli prolusione ad ipsam pervenimus aciem, cuius non prorsus ignarus et imperitus fuisse putandus est dux contra Samios creatus. Nec tamen memoria belli in oratione poetae quem „ποιέειν μέν, στρατηγέειν δ᾽ οὐκ ἐπίστασθαι“ contendit Pericles (Athen. XIII p. 604 d) admodum vigere aut excellere videtur. Quamquam enim imagines quae huc spectant numero haud ita infrequentes sunt, tamen satis pressae ac tenues videntur et in ipsum castrorum ac proeliorum strepitum nisi perraro non inducunt. Sed ipsas videamus. Verba πόλεμος et πολεμεῖν tralate dicuntur El. 219 (σᾷ δυσθύμῳ τίκτουσ᾽ ἀεὶ) ψυχᾷ πολέμους et OC 191 μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν, cum quo apte comparant Ant. 1106 ἀνάγκῃ δ᾽ οὐχὶ δυσμαχητέον. Cf. etiam Trach. 492 θεοῖσι δυσμαχοῦντες. Ipsa vocabula μάχη et μάχεσθαι paullulum modo ad translationem sese inclinant, ut locis exscriptis opus non sit. Ὑπερμαχεῖν tralate usurpatur Ai. 1346 ὑπερμάχομαι OR 259; item verba σύμμαχος et συμμαχεῖν persaepe ad cuiusvis opitulationis potestatem deflectunt. Nec minus crebra est translatio verborum ἐναίρειν et ἐναρίζειν, in quibus vis metaphorica magis sentitur, ut in verbis selectioribus. Cf. Ai. 26 λείας κατηναρισμένας, OC 842 πόλις ἐναίρεται, ibd. 1733 ἄγε με (sc. Ἀντιγόνην) καὶ τότ᾽ ἐνάριξον, Phil. 946 ἐναίρων νεκρόν (prov.) ibd. 956 τόξοις ἐναίρων, Ant. 871 θανὼν ἔτ᾽ οὖσαν κατήναρές με. Quibus et insignius et audacius simile legitur Trach. 94 seq. ὃν (sc. Ἥλιον) αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα Τίκτει κατευνάζει τε, de quo num sic a Sophocle dictum sit dubitatur. Sequitur vox praesertim Homerica φύλοπις ad rixam sororum translata El. 1072. Nec desunt verba ab urbium eversionibus et ad hominum et ad rerum interitum ac perniciem traducta. V. Ai. 896 Τεκμ.: οἴχωκ᾽ ὄλωλα, διαπεπόρθημαι, φίλοι, ibd. 1198 κεῖνος γὰρ ἔπερσεν ἀνθρώπους, OR 1456 (μήτε μ᾽ ἂν νόσον) μήτ᾽ ἄλλο πέρσαι μηδέν, Trach. 1104 ὑπ᾽ ἄτης ἐκπεπόρθημαι; cf. OC 703. Sequuntur imagines ab armatura et armis petitae haece: El. 995 seq. τοιοῦτον θράσος Αὐτή θ᾽ ὁπλίζει κἄμ᾽ ὑπηρετεῖν καλεῖς, ibd 1087. τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα. Ex armorum numero tralate dictum occurrit ἔγχος: OR 170 οὐδ᾽ ἔνι φροντίδος ἔγχος, ᾧ τις ἀλέξεται, frg. 480,3 πῦρ — Ἑκάτης ἔγχος; ἔγχος = σφαῖρα frg. 872, deinde βέλος OR 892 seq.: τίς ἔτι ποτ᾽ ἐν τοῖσδ᾽ ἀνὴρ θυμῷ βέλη Ἔρξεται ψυχᾶς ἀμύνειν, Trach. 882 seq. τίς θυμός ἢ τίνες νόσοι Τάνδ᾽ αἰχμὰν βέλεος κακοῦ Ξυνεῖλε; quibus in locis quum multa dubia et obscura sint scripturam traditam exhibeo. De fulmine βέλος dicitur Trach. 1087 et OC 1515 δύσομβρα βέλη. De telo tanquam fulmine iaciendo cogitandum est etiam OC 1467 in verbis τί μὰν ἀφήσει τέλος, ubi equidem pro τέλος ipsum vocabulum βέλος reposuerim, nam de portendendo eventu cum Ellendtio cogitare futuro ἀφήσει vetamur. Nec in verbo ἀφιέναι ea potestas inest. Quod quidem a telorum iactu ad alia traductum est

Ant. 1088, OC 731. Cf. frg. 169 ὀμμάτων ἄπο λόγχας ἀφίησιν ex correctione Casauboni et Dindorfi. Plenioribus arcus inservit comparationibus quas hic enumeramus, quum propius ad belli usum quam ad alia accedere videantur. Leguntur enim haec:

Ant. 1033 seq.: . . . . ὥστε τοξόται σκοποῦ
τοξεύετ᾽ ἀνδρὸς τοῦδε.
ibd. 1084 seqq.: . . . . ὥστε τοξότης
ἀφῆκα θυμῷ καρδίας τοξεύματα
βέβαια, τῶν σὺ θάλπος οὐχ ὑπεκδραμεῖ
OR 1195 seqq.: ὅστις καθ᾽ ὑπερβολὰν
τοξεύσας ἐκράτησε τοῦ
πάντ᾽ εὐδαίμονος ὄλβου
frg. 376: ὡς ἀσπιδοῦχος ἢ Σκύθης τοξεύμασι
Ant. 711: τὸ μὴ τείνειν ἄγαν.

Eodem pertinere videntur Ai. 154 seq. τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς Οὐκ ἂν ἁμάρτοις. Omnino verbis ἁμαρτάνειν et ἀμπλακεῖν potestatem aberrandi a scopo subesse notissimum est, unde translatio facta est latissima. Sed difficilis quaestio videtur num ea quoque quae Ai. 976 leguntur: βοῶντος ἄτης τῆσδ᾽ ἐπίσκοπον μέλος ad artem tela iaciendi sint referenda. Quod quidem utique debet fieri, si scholiasate adnotationi: οὐχ ἡμαρτηκὸς τῆς συμφορᾶς ἀλλ᾽ ἐστοχασμένον vel Hesychii glossae: ἐπίσκοπα· τυγχάνοντα τοῦ σκοποῦ fidem habemus; sed satis mira locutio est.

Sequuntur imagines generaliores ad rem bellicam spectantes: Ant. 593 seq. ὁρῶμαι πήματα φθιμένων ἐπὶ πήμασι πίπτοντα, velut in bello σώματα ἐπὶ σώμασι (cf. Gu. Wolff.); ibd. 781 seqq. Ἔρως ἀνίκατε μάχαν, Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις, ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις. De belli sociis et de praesidio talia videntur sumpta esse qualia sunt OR 56: ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος οὔτε ναῦς Ἔρημος ἀνδρῶν κτλ; ibd. 1200 (θανάτων) πύργος, Ai. 159 (σμικροὶ μεγάλων χωρὶς) σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται, cf. Ant. 952; Ai. 1211 seqq. ἐννυχίου δείματος ἦν μοι προβολὰ καὶ βελέων θούριος Αἴας, Phil. 1008 (λαβὼν) πρόβλημα σαυτοῦ παῖδα τόνδε, Ai. 1076 φόβου πρόβλημα, Ant. 241 ἀποφράγνυσαι κύκλῳ (τὸ πρᾶγμα), Ai. 910 ἄφαρκτος φίλων. Fortasse etiam aliquid eiusmodi latet in vocabulo ξυμπαραστάτης in Phil. 675 (τὸ γὰρ) νοσοῦν ποθεῖ σε ξυμπ. λαβεῖν; παραστάτης quidem aperte de commilitone dicitur Ant. 666, sed non in simili. Huc quoque revocandum est vocabulum σύμμαχος cum similibus, de quibus supra dixi.*) Contra ad proditionem qualis in bello fit haec spectant: El. 207 αἳ (χεῖρες) τὸν ἐμὸν εἷλον βίον πρόδοτον. Ceterum in verbo προδιδόναι et in derivatis insignior imago vix conspicitur. Cf. igitur lex. Soph. De insidiis dicitur verbum λοχᾶν Ant. 1074 et λόχος El. 490, utroque loco de furiarum vindicta usurpatum. Proprie de militum insidiis λόχος dicitur OC 1089. Agmen claudant singularia vocabula militaria στρατός El. 749 et Trach. 795 de populi conventu dictum et ξύνθημα (OC. 46 ξυμφορᾶς ξύνθημ᾽ ἐμῆς) quod vernacula voce „Losung“ Nauckius vertit, quamquam hoc dubium est. Plura vix inveniuntur. Quin etiam eorum quae attuli complura eiusmodi sane sunt, ut claram et satis definitam imaginem non praebeant nec utique ad solum bellum referenda sint. Quae quidem adieci, ut omnes quam tenuis horum similium forma sit oculis videant neve quidquam a me praetermissum esse arbitrentur.

Atque huius tenuitatis et exilitatis si causam quaerimus, praefracte ego negandum censeo belli et rei militaris naturam et indolem esse eam quae ad imagines conformandas non

*) Ant. 665 seq.: δορός τ᾽ ἂν ἐν χειμῶνι προστεταγμένον
μένειν δίκαιον κἀγαθὸν παραστάτην.
Jtem ad bellum spectant quae ibd. v. 674—676 leguntur, neque tamen haec per comparationem dicta sunt.

satis apta esse videatur. Quid enim? Nonne belli ancipites variosque casus, armorum strepitum, castrorum tumultum, excubiarum pericula et solitudinem, ipsorum militum virtutes et vitia summo opere animum poetae occupare et ad effingenda similia invitare posse putemus, si revera cum studio quodam in illis rebus versatus est et tanquam habitavit? Et quid deinde causae esse censeamus, cur non ut ex palaestra, ita ex militaribus quoque exercitationibus translationes possint desumi? Quare ego ex ipsa poetae natura causam deducendam esse arbitror, cur illarum imaginum vis et circuitus pertenuis sit, id quod etiam Peczio placere ex Rappolti libello (part. III pag. 44) comperio. Neque veterum testimoniis nos in ea re destitui supra demonstravi. Quin ego ne iudiciorum quidem et vitae publicae rationem praesertim in Atheniensium civitate, in qua omnia per populum administrabantur, talem esse iudico, ut similia inde ducta a poesi abesse debeant. Nonne enim ipse Homerus illis rebus tantum tribuit, ut in scuto Achillis (Jl. XVIII v. 497—508) causae forensi locum concederet? Quod vero nos harum rerum usu in carminibus parum delectamur, non satis causae est cur idem de Graecis statuamus. Eorum enim sensum non semper cum nostro convenire facillime concedet qui ea similia perpenderit quae ex vitae cotidianae usu atque in primis ex fabrorum opificio deprompta sunt. De quibus cf. quae in part. II pag. 7 et 8 disputavi. —

Jam vero ad reliqua imaginum genera pergendum esset, nisi miro quodam casu prohiberer. Jnstat enim iam typotheta meus et verbis orat supplicibus, ut a detestabilium literarum Graecarum usu quam maxime in posterum mihi temperare studeam; nam typorum penuria affectus atque omnino rei novitate perturbatus — nunc enim primum in hoc oppido literae Graecae e receptaculo suo sunt excitatae — odit has literarum formas et extimescit „ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι“ nec amplius se officio suo fungi posse contendit. Graecis enim literis iam totae paginae essent explendae, si ea quae in scriniis latent expromerem. Qua in re maxime illud doleo quod duo imaginum genera et copiosissima et suavissima — sunt autem ea quae ad bestiarum naturam vitamque et ad res maritimas et nauticas referuntur — retinere atque ita hanc commentationem splendidissimo ornatu privare cogor. Sed solacium praebet quod Hoppius*), Radtkius**), Rappoltius hos locos maximam partem iam pertractaverunt, quorum libellis utendum est. Atque sic imminuta hac forma libellus meus prodeat et gymnasium nostrum nuperrime constitutum primus in literarum commercium educat. Hoc munere honorificentissimo ne admodum indignum se praebeat in votis est.

---

*) De comparationum et metaphorarum apud tragicos Graecos usu. Berol. 1859.

**) De tragicorum Graecorum tropis. Krotoschin 1867 (Partic. II).

Bericht

über

das II. Schuljahr von Ostern 1881 bis Ostern 1882.

A. Lehrverfassung.

I. Tertia B. Ordinarius: Der Dirigent.

Religion. 2 St. a) Evangelischer Religionsunterricht: Das Leben Jesu Christi nach den Synoptikern. — Wiederholung des ganzen Alten Testamentes. — Memorieren des IV und V Hauptstückes, von Psalmen, Sprüchen und Kirchenliedern (8). — Friedrich. — Im Winter mit Quarta komb. — Friedrich.

b) Katholischer Religionsunterricht: Geschichte des Alten Testamentes mit besonderer Berücksichtigung der messianischen Weissagungen im Anschluß an Schuster. — Wiederholung des Diözesan-Katechismus; ausführlicher behandelt wurde die Lehre vom Glauben und den Sakramenten. — Komb. mit Quarta und Quinta. — Dr. theol. Muszynski.

c) Jüdischer Religionsunterricht: Biblische und jüdische Geschichte vom babylonischen Exil bis zum Tode des Makkabäers Juda. — Erörterung der zehn sinaitischen Worte (zehn Gebote). — Pflichten gegen Gott. — Begriff des Eides. — Von der Sünde und Buße. — Kombin. mit Quarta. — Dr. Brann.

Deutsch. 2 St. Repetition der Interpunktionslehre und zusammenfassende Übersicht der Satzlehre. — Lektüre und Erklärung von Balladen und Romanzen namentlich Schiller's und Uhland's (im Anschluß an das Lesebuch). — Deklamationsübungen. — Befestigung in der neuen Orthographie. — Anfangsgründe des Disponierens. — Monatliche Aufsätze. — Lueck.

Latein. 10 St. Wiederholung der Regeln über die Kasuslehre und Erweiterung derselben durch die Anmerkungen der Grammatik von Ellendt-Seuffert. — Die Präpositionen. — Die wichtigsten Regeln aus der Lehre von den temporibus und modis im Anschluß an das Übungsbuch. — Übersetzen aus demselben. — Erlernen von Vokabeln und Phrasen. — Wöchentliche Exercitien oder Extemporalien. — Caesar de bell. gall. I—III incl. — 8 St. Der Dirigent. — Anfangsgründe der Prosodie und Metrik. — Lektüre aus Siebelis tiroc. poetic. und Ovid's Metamorph. I. Teil. — Memorieren ausgewählter Stücke. — 2 St. Lueck.

Griechisch. 6 St. Wiederholung und Ergänzung des Pensums der Quarta. — Verba liquida. Tempora sec. — Verba in μι. — Einige unregelmäßige Verba, soweit die Lektüre des

Xenophon sie erforderte. — Erlernen von Vokabeln. — Übersetzen aus dem Übungsbuche. — Wöchentliche Exercitien oder Extemporalien. — Im Winter Xenoph. anab. B. I. — Der Dirigent.

Französisch. 2 St. Repetition des Pensums der Quarta. — Plötz Schulgrammatik der französischen Sprache. Lect. 1—24 incl. — Lektüre aus Lüdeking Teil I. — Erlernen von Vokabeln. — Alle 14 Tage Exercitien oder Extemporalien. — Schœttler.

Geschichte. 2 St. Deutsche Geschichte von der Völkerwanderung bis zur Reformation, unter Berücksichtigung der wichtigsten Partien der Geschichte der andern europäischen Staaten. — Lueck

Geographie. 1 St. Deutschland, namentlich Preußen und Österreich ausführlich. — Schœttler.

Mathematik. 3 St. Planimetrie: Wiederholung des Pensums der Quarta. — Dreieck und Viereck. — Elementarkonstruktionen im Anschluß an Kambly's Planimetrie. — Algebra: Die vier Species mit einfachen und zusammengesetzten algebraischen Größen. — Alle 14 Tage eine schriftliche Arbeit. — Schœttler.

Naturgeschichte. 2 St. Im Sommer Botanik: Übungen im Bestimmen der Phanerogamen und Charakterisierung der wichtigsten Familien derselben. — Botanische Exkursionen. — Im Winter Zoologie: Die Gliedertiere. — Schœttler.

II. Quarta. Ordinarius: Gymnasiallehrer Lueck.

Religion. 2 St. a) Evangelischer Religionsunterricht: Das III Hauptstück. — Geographie von Paläſtina. — Die biblischen Geschichten des ganzen Alten Testamentes. — Sprüche und Kirchenlieder (8). — Friedrich. — Im Winter mit Tertia B. kombiniert — Friedrich.

